



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

De Magistris pauperum & hospitaliorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39761

De Magistris pauperum. 241
DE MAGISTRIS PAUPERUM ET HOSPITALIORUM.

I.



Magistri pauperum & Rectores hospitaliorum non assumantur nisi Catholici.

Dec. Synod. dioces. Annæ 1622. tit. 7. c. 3.

II. Non distribuant elemosynas alijs personis, quam Catholicis, & quibus ex fundatione debentur.

III. Agnoscant Archidiaconos & Pastores tanquam generales prouisores pauperum & perpetuos, quibus cura pauperum præcipuè incumbit.

IV. Vtrique iuramentum fidelitatis præstent, & benivolos se erga pauperes demonstrant.

V. Aduigilent diligenter ne infirmi sine Sacramentis Ecclesiæ à vita discedant, aut necessaria salutis cura destituantur.

VI. Sicubi profanata sunt hospitalia restituantur, & diuina officia ibidem iuxta fundationes peragantur.

DE OBSTETRICIBVS DELIGENDIS, ET EARVNDEM INSTRUCTIONE ac iuramento.

I.



Remagni uti Reipublicæ, sic Ecclesiæ interest, ut obstetricandi munus, non quæuis promiscuè mulieres; verum certæ selectæque obeant. Ut enim ex imperita incautaque eius administratione infantes multi certam vitæ huius momentaneæ patiuntur iacturam: ita metuendum, ne non pauci impia ac hæretica quarundam obstetricum fraude, etiam salute sempiterna maleuolè priuentur.

II. Quocirca operam dabit Parochus, etiam, si opus sit, adhibita Magistratus ciuilis, vel Aediliū parochiæ auctoritate, ut quoties obstetrix designanda, honestiores ac probiores suæ Ecclesiæ fœminæ conuocentur. Has sedulo admoneat, ut deposito omni odio, amore vel fauore, omnium quæ crediderint ad officium hoc aptissimā & fidelissimam, & præcipuè, quam nunquam de hæresi vel maleficio nouerint suspectam fuisse, designent, & quidem si istud Parochiæ amplitudo requirat, etiam plures.

III. Cum verò aliqua electa ac constituta fuerit, curabit ut ea mox iuxta subiectas formulas & instruatur, & iuramentum præstet. Quod quidem ipsa per se legat, si possit: Sin minus, Parochus prior pronunciet, & illa sequatur, eadem & singula verba repetens.

Gg 2

INSTI-